

Baccalaureatus Europaeus

Lingua Latina
Pensum 2017-18

Feminae Romanae



Contents

- Cleopatra Horatii, Carmina 1.37
- Dido Virgilio Aeneidos 4.630-705
- Clodia (*alias* Lesbia) Ciceronis pro Caelio 30-36;
Catulli Carmina 2, 3, 5, 51, 70, 79, 83
- Claudia Severa Vindolanda Tablet 291
- Lucretia T. Livii 1.57-8
- Agrippina Taciti Annales 14.1-9
- Sophonisba T. Livii 30.12-15

This choice of texts reflects the portrayal of famous women in Latin literature. They are mainly historical figures: some of whom are virtuous, some are not. Other women known from documents and inscriptions are included for contrast. Some of following questions may be asked in the reading of these texts:

- What kind of stereotypes or clichés are attached to women in ancient Rome?
- How useful are female characters to the moral purpose of the writers of history?
- In what ways could a Roman woman be significant at different periods in Roman history?

Sections in italics are for extra reading or reading in translation to complete the stories. They will not be set for comment in the examination. The section of additional material for extra reading is optional but may be used for translation practice.

The final written examination will be set according to the new programme. The question requiring comment on translations will refer only to the literary texts. The unseen texts may be related to the topic and will consist of a literary and a non-literary text. The written response will require knowledge of all the extracts.

Inhalt

- Cleopatra Horatii, Carmina 1.37
- Dido Virgilii Aeneidos 4.630-705
- Clodia (*alias* Lesbia) Ciceronis pro Caelio 30-36;
Catulli Carmina 2, 3, 5, 51, 70, 79, 83
- Claudia Severa Vindolanda Tablet 291
- Lucretia T. Livii 1.57-8
- Agrippina Taciti Annales 14.1-9
- Sophonisba T. Livii 30.12-15

Diese Textauswahl spiegelt die Darstellung berühmter römischer Frauen in der lateinischen Literatur wider. Es sind hauptsächlich historische Figuren: einige von ihnen sind tugendhaft, andere nicht. Als Kontrast wurden andere Frauen, die durch Dokumente und Inschriften bekannt sind, aufgenommen. Während der Lektüre dieser Texte können folgende Fragen gestellt werden:

- Welche Formen von Stereotypen oder Klischees in Bezug auf Frauen im antiken Rom gab es?
- Wie nützlich sind weibliche Charaktere für die moralische Aussage der Geschichtsschreiber?
- Auf welche Art und Weise konnte eine römische Frau in verschiedenen Perioden der römischen Geschichte Bedeutung erlangen?

Die Abschnitte in kursiver Schrift sind als zusätzlicher Lesestoff oder als Lektüre in Übersetzung gedacht, um die Geschichten zu vervollständigen. Sie werden nicht Stoff der Interpretationsaufgabe des Abiturs sein. Der Teil „Zusatzmaterial“ ist weiterer Lesestoff und optional, kann jedoch auch als Übersetzungsübung verwendet werden.

Die letzte schriftliche Abiturprüfung wird gemäß des neuen Programmes gestellt werden. Die Frage, die einen Kommentar zu Übersetzungen verlangt, wird sich nur auf die literarischen Texte beziehen. Die unbekannte Übersetzung kann sich auf das Thema beziehen und wird aus einem literarischen und einem nicht - literarischen Text bestehen. Die Schreibaufgabe setzt die Kenntnis aller Textauszüge voraus.

Contenu

- Cléopâtre Horace, *Odes*, I, 37
- Didon Virgile, *Énéide*, livre IV, v. 630 à 705
- Clodia (*alias* Lesbia) Cicéron, *Pour Caelius*, 30-36 ;
Catulle, *Poèmes*, II, III, V, LI, LXX, LXXIX, LXXXIII
- Claudia Severa Tablettes de Vindolanda, 291
- Lucreèce Tite-Live, *Histoire romaine*, I, 57-58
- Agrippine Tacite, *Annales*, XIV, 1 à 9
- Sophonisbe Tite-Live, *Histoire romaine*, XXX, 12 à 15

Ce choix de textes renvoie à des portraits de femmes célèbres dans la littérature latine. Ce sont principalement des figures historiques. Certaines sont vertueuses, d'autres non. D'autres femmes connues par des documents et des inscriptions sont incluses par contraste. Certaines des questions suivantes peuvent être posées au cours de la lecture de ces textes.

- Quels stéréotypes ou clichés sont attachés aux femmes dans la Rome antique ?
- Quelle est l'utilité des personnages féminins dans le dessein moral des historiens ?
- Sur quels plans une femme romaine, en tenant compte de la longue histoire de Rome, pouvait-elle avoir de l'importance ?

Les sections en italiques servent de lectures complémentaires en traduction pour compléter les histoires. La section des documents additionnels pour lectures complémentaires est optionnelle mais peut être utilisée pour un entraînement à la traduction.

L'examen écrit final sera préparé selon les nouvelles modalités. La question sur les commentaires de traductions concerne uniquement des textes littéraires. Les textes inconnus peuvent être liés au sujet et consisteront en un texte littéraire et un texte non littéraire. La réponse écrite demandera la connaissance de tous les extraits.

Cleopatra (Horatii, Carmina 1.37)

Nunc est bibendum, nunc pede libero
pulsanda tellus, nunc Saliaribus
ornare pulvinar deorum
tempus erat dapibus, sodales.

- 5 Antehac nefas depromere Caecubum
cellis avitis, dum Capitolio
regina dementis ruinas
funus et imperio parabat
contaminato cum grege turpium
10 morbo virorum, quidlibet impotens
sperare fortunaque dulci
ebria. Sed minuit furorem



Cleopatra in Handel's *Giulio Cesare* from Glyndebourne Opera (2005)


vix una sospes navis ab ignibus,
mentemque lymphatam Mareotico

- 15 redegit in veros timores
Caesar, ab Italia volantem
remis adurgens, accipiter velut
mollis columbas aut leporem citus
venator in campis nivalis
- 20 Haemoniae, daret ut catenis
fatale monstrum. Quae generosius
perire quaerens nec muliebriter
expavit ensem nec latentis
classe cita reparavit oras,



Alain Chabat, *Astérix et Obélix, Mission Cléopâtre*,
avec Monica Bellucci dans le rôle de Cléopâtre (2002)

25 ausa et iacentem visere regiam
 vultu sereno, fortis et asperas
 tractare serpentes, ut atrum
 corpore conbiberet venenum,
 deliberata morte ferocior:
30 saevis Liburnis scilicet invidens
 privata deduci superbo
 non humilis mulier triumpho.



Alessandro Turchi, *La mort de Cléopâtre*, vers 1640 – Musée du Louvre



*La reine Cléopâtre, art égyptien, III^e siècle av. J.-C.,
fragment de relief en calcaire découvert à Edfou – Musée du Louvre*

Dido (Virgili Aeneidos 4.630-705)

- 630 *Haec ait, et partis animum versabat in omnis,
invisam quaerens quam primum abrumpere lucem.
tum breviter Barcen nutricem adfata Sychaei,
namque suam patria antiqua cinis ater habebat:
'Annam, cara mihi nutrix, huc siste sororem:*
- 635 *dic corpus properet fluviali spargere lympha,
et pecudes secum et monstrata piacula ducat.
sic veniat, tuque ipsa pia tege tempora vitta.
sacra Iovi Stygio, quae rite incepta paravi,
perficere est animus finemque imponere curis*
- 640 *Dardaniique rogam capitis permittere flammae.'*
*sic ait. illa gradum studio celebrabat anili.
at trepida et coeptis immanibus effera Dido
sanguineam volvens aciem, maculisque tremantis
interfusa genas et pallida morte futura,*
- 645 *interiora domus intrumpit limina et altos
conscendit furibunda rogos ensemque recludit
Dardanium, non hos quaesitum munus in usus.
hic, postquam Iliacas vestis notumque cubile
conspexit, paulum lacrimis et mente morata*
- 650 *incubuitque toro dixitque novissima verba:
'dulces exuviae, dum fata deusque sinebat,
accipite hanc animam meque his exsolve curis.
vixi et quem dederat cursum Fortuna peregi,
et nunc magna mei sub terras ibit imago.*
- 655 *urbem praeclaram statui, mea moenia vidi,
ulta virum poenas inimico a fratre recepi,
felix, heu nimium felix, si litora tantum
numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae.'*

dixit, et os impressa toro 'moriemur inultae,
660 sed moriamur' ait. 'sic, sic iuvat ire sub umbras.
hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, et nostrae secum ferat omina mortis.'
dixerat, atque illam media inter talia ferro
conlapsam aspiciunt comites, ensemque cruore
665 spumantem sparsasque manus. it clamor ad alta
atria: concussam bacchatur Fama per urbem.
lamentis gemituque et femineo ululatu
tectata fremunt, resonat magnis plangoribus aether,
non aliter quam si immissis ruat hostibus omnis
670 Karthago aut antiqua Tyros, flammaeque furentes
culmina perque hominum volvuntur perque deorum.



Rubens, Death of Dido, 1635-8 Musée du Louvre

audii exanimis trepidoque exterrita cursu
unguibus ora soror foedans et pectora pugnis
per medios ruit, ac morientem nomine clamat:
675 'hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?

hoc rogius iste mihi, hoc ignes araeque parabant?
quid primum deserta querar? comitemne sororem
sprevisti moriens? eadem me ad fata vocasses,
idem ambas ferro dolor atque eadem hora tulisset.

680 his etiam struxi manibus patriosque vocavi
voce deos, sic te ut posita, crudelis, abessem?
exstinxti te meque, soror, populumque patresque
Sidonios urbemque tuam. date, vulnera lymphis
abluam et, extremus si quis super halitus errat,
685 ore legam.' sic fata gradus evaserat altos,
semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
cum gemitu atque atros siccabat veste cruores.
illa gravis oculos conata attollere rursus
deficit; infixum stridit sub pectore vulnus.
690 ter sese attollens cubitoque adnixa levavit,
ter revoluta toro est oculisque errantibus alto
quaesivit caelo lucem ingemuitque reperta.



Claude-Augustin Cayot, *La Mort de Didon*, marbre, 1711, Musée du Louvre

Tum luno omnipotens longum miserata dolorem
difficilisque obitus Irim demisit Olympo
695 quae luctantem animam nexosque resolveret artus.
nam quia nec fato merita nec morte peribat,

sed misera ante diem subitoque accensa furore,
nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
abstulerat Stygioque caput damnaverat Orco.

700 ergo Iris croceis per caelum roscida pennis
mille trahens varios adverso sole colores
devolat et supra caput astitit. 'hunc ego Diti
sacrum iussa fero teque isto corpore solvo':
sic ait et dextra crinem secat, omnis et una
705 dilapsus calor atque in ventos vita recessit.



La Mort de Didon, attribué à Carle Van Loo, entre 1750 et 1760,
Nancy, Musée des Beaux-Arts

Clodia (Ciceronis pro Caelio 30-36)

[30] *Sunt autem duo crimina, auri et veneni; in quibus una atque eadem persona versatur. Aurum sumptum a Clodia, venenum quaesitum, quod Clodiae daretur, ut dicitur. Omnia sunt alia non crimina, sed maledicta, iurgi petulantis magis quam publicae quaestionis. "Adulter, impudicus, sequester" convicium est, non*
5 *accusatio; nullum est enim fundamentum horum criminum, nulla sedes; voces sunt contumeliosae temere ab irato accusatore nullo auctore emissae.*

[31] *Horum duorum criminum video auctorem, video fontem, video certum nomen et caput. Auro opus fuit; sumpsit a Clodia, sumpsit sine teste, habuit, quamdiu voluit. Maximum video signum cuiusdam egregiae familiaritatis.*
10 *Necare eandem voluit; quaesivit venenum, sollicitavit quos potuit, paravit, locum constituit, attulit. Magnum rursus odium video cum crudelissimo discidio extitisse. Res est omnis in hac causa nobis, iudices, cum Clodia, muliere non solum nobili, sed etiam nota; de qua ego nihil dicam nisi depellendi criminis causa.*

[32] *Sed intellegis pro tua praestanti prudentia, Cn. Domiti, cum hac sola rem esse nobis. Quae si se aurum Caelio commodasse non dicit, si venenum ab hoc sibi paratum esse non arguit, petulanter facimus, si matrem familias secus, quam matronarum sanctitas postulat, nominamus. Sin ista muliere remota nec crimen ullum nec opes ad oppugnandum Caelium illis relinquuntur, quid est*
20 *aliud quod nos patroni facere debeamus, nisi ut eos, qui insectantur, repellamus? Quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent mihi inimicitiae cum istius mulieris viro—fratre volui dicere; semper hic erro. Nunc agam modice nec longius progrediar quam me mea fides et causa ipsa coget. Neque enim muliebres umquam inimicitias mihi gerendas putavi, praesertim*
25 *cum ea quam omnes semper amicam omnium potius quam cuiusquam inimicam putaverunt.*

[33] *Sed tamen ex ipsa quaeram prius utrum me secum severe et graviter et prisce agere malit an remisse et leniter et urbane. Si illo austero more ac modo,*

aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis non hac barbula, qua ista
30 delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis atque imaginibus videmus,
qui obiurget mulierem et pro me loquatur, ne mihi ista forte suscenseat.
Exsistat igitur ex hac ipsa familia aliquis ac potissimum Caecus ille; minimum
enim dolorem capiet, qui istam non videbit. Qui profecto, si exstiterit, sic aget
ac sic loquetur: "Mulier, quid tibi cum Caelio, quid cum homine adolescentulo,
35 quid cum alieno? Cur aut tam familiaris huic fuisti, ut aurum commodares, aut
tam inimica, ut venenum timeres? Non patrem tuum videras, non patruum,
non avum, non proavum, non abavum, non atavum audieras consules fuisse;
[34] non denique modo te Q. Metelli matrimonium tenuisse sciebas, clarissimi
ac fortissimi viri patriaeque amantissimi, qui simul ac pedem limine extulerat,
40 omnes prope cives virtute, gloria, dignitate superabat? Cum ex amplissimo
genere in familiam clarissimam nupsisses, cur tibi Caelius tam coniunctus fuit?
cognatus, adfinis, viri tui familiaris? Nihil eorum. Quid igitur fuit nisi quaedam
temeritas ac libido? Nonne te, si nostrae imagines viriles non commovebant, ne
progenies quidem mea, Q. illa Claudia, aemulam domesticae laudis in gloria
45 muliebri esse admonebat, non virgo illa Vestalis Claudia, quae patrem
complexa triumphantem ab inimico tribuno plebei de curru detrahi passa non
est? Cur te fraterna vitia potius quam bona paterna et avita et usque a nobis
cum in viris tum etiam in feminis repetita moverunt? Ideone ego pacem Pyrrhi
diremi, ut tu amorum turpissimorum cotidie foedera ferires, ideo aquam
50 adduxi, ut ea tu inceste uterere, ideo viam munivi, ut eam tu alienis viris
comitata celebrares?"

[35] Sed quid ego, iudices, ita gravem personam induxi, ut verear, ne se idem
Appius repente convertat et Caelium incipiat accusare illa sua gravitate
censoria? Sed videro hoc posterius, atque ita, iudices, ut vel severissimis
55 disceptatoribus M. Caeli vitam me probaturum esse confidam. Tu vero, mulier,
(iam enim ipse tecum nulla persona introducta loquor) si ea, quae facis, quae
dicas, quae insimulas, quae moliris, quae arguis, probare cogitas, rationem
tantae familiaritatis, tantae consuetudinis, tantae coniunctionis reddas atque
exponas necesse est. Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Baias,

- 60 actas, convivia, comissationes, cantus, symphonias, navigia iactant, idemque significant nihil se te invita dicere. Quae tu quoniam mente nescio qua effrenata atque praecipiti in forum deferri iudiciumque voluisti, aut diluas oportet ac falsa esse doceas aut nihil neque crimini tuo neque testimonio credendum esse fateare.
- 65 *[36] Sin autem urbanius me agere mavis, sic agam tecum; removebo illum senem durum ac paene agrestem; ex his igitur tuis sumam aliquem ac potissimum minimum fratrem, qui est in isto genere urbanissimus; qui te amat plurimum, qui propter nescio quam, credo, timiditatem et nocturnos quosdam inanes metus tecum semper pusio cum maiore sorore cubitavit. Eum putato*
- 70 *tecum loqui: "Quid tumultuaris, soror? quid insanis? Quid clamorem exorsa verbis parvam rem magnam facis? Vicinum adolescentulum aspexisti; candor huius te et proceritas, vultus oculique pepulerunt; saepius videre voluisti; fuisti non numquam in isdem hortis; vis nobilis mulier illum filium familias patre parco ac tenaci habere tuis copiis*
- 75 *devinctum; non potes; calcitrat, respuit, non putat tua dona esse tanti; confer te alio. Habes hortos ad Tiberim ac diligenter eo loco paratos, quo omnis iuventus natandi causa venit; hinc licet condiciones cotidie legas; cur huic, qui te spernit, molesta es?"*

Cicero Letters about Clodia

Ad Atticum 12.38a

- [1] Quod putas oportere pervideri iam animi mei firmitatem graviusque quosdam scribis de me loqui quam aut te scribere aut Brutum, si qui me fractum esse animo et debilitatum putant sciant quid litterarum et cuius generis conficiam, credo, si modo homines sint, existiment me, sive ita levatus sim ut*
- 5 *animum vacuum ad res difficilis scribendas adferam, reprehendendum non esse, sive hanc aberrationem a dolore delegerim quae maxime liberalis sit doctoque homine dignissima, laudari me etiam oportere.*

[2] Sed cum ego faciam omnia quae facere possim ad me adlevandum, tu effice id quod video te non minus quam me laborare. hoc mihi debere videor neque
10 levari posse nisi solvero aut videro me posse solvere, id est locum qualem volo invenero. heredes Scapulae si istos hortos, ut scribis tibi Othonem dixisse, partibus quattuor factis liceri cogitant, nihil est scilicet emptori loci; sin venibunt, quid fieri possit videbimus. nam ille locus Publicianus qui est Treboni et Cusini erat ad me adlatus. sed scis aream esse. nullo pacto probo. Clodiae sane placent
15 sed non puto esse venalis. de Drusi hortis, quamvis ab iis abhorreas, ut scribis, tamen eo confugiam nisi quid inveneris. aedificatio me non movet. nihil enim aliud aedificabo nisi id quod etiam si illos non habuero.

Ad Atticum 12.42

Nullum a te desideravi diem litterarum; videbam enim quae scribis, et tamen suspicabar vel potius intellegebam nihil fuisse quod scriberes; a. d. vi Idus vero et abesse te putabam et plane videbam nihil te habere. ego tamen ad te fere cotidie mittam; malo enim frustra quam te non habere cui des, si quid forte sit
5 quod putes me scire oportere. itaque accepi vi Idus litteras tuas inanis. quid enim habebas quod scriberes? mi tamen illud quicquid erat non molestum fuit, ut nihil aliud, scire me novi te nihil habere. scripsisti tamen nescio quid de Clodia. Vbi ergo ea est aut quando ventura? placet mihi res sic ut secundum Othonem nihil magis. sed neque hanc vendituram puto (delectatur enim et copiosa est), et
10 illud alterum quam sit difficile te non fugit. sed, obsecro, enitatur ut aliquid ad id quod cupio excogitemus. ego me hinc postridie exiturum puto sed aut in Tusculanum aut domum, inde fortasse Arpinum. cum certum sciero, scribam ad te.

Catulli Carmina 2, 3, 5, 51, 70, 79, 83

II

Passer, deliciae meae puellae,
2 quicum ludere, quem in sinu tenere,
cui primum digitum dare appetenti
4 et acris solet incitare morsus,
cum desiderio meo nitenti
6 carum nescio quid lubet iocari
et solaciolum sui doloris,
8 credo ut tum gravis acquiescat ardor:
tecum ludere sicut ipsa possem
10 et tristis animi levare curas!



Villa de Poppée, moineau picorant des fruits
Villa Oplontis, Sparrow pecking at fruit

III

Lugete, o Veneres Cupidinesque,
2 et quantum est hominum venustiorum:
passer mortuus est meae puellae,
4 passer, deliciae meae puellae,
quem plus illa oculis suis amabat.
6 nam mellitus erat suamque norat
ipsam tam bene quam puella matrem,
8 nec sese a gremio illius movebat,
sed circumsiliens modo huc modo illuc
10 ad solam dominam usque pipiabat.
qui nunc it per iter tenebricosum
12 illuc, unde negant redire quemquam.
at vobis male sit, malae tenebrae
14 Orci, quae omnia bella devoratis:
tam bellum mihi passerem abstulistis
16 o factum male! o miselle passer!
tua nunc opera meae puellae
18 flendo turgiduli rubent ocelli.



Edward Poynter, Lesbia and her Sparrow, 1907 private collection

V

Vivamus mea Lesbia, atque amemus,
2 rumoresque senum severiorum
omnes unius aestimemus assis!
4 soles occidere et redire possunt:
nobis cum semel occidit brevis lux,
6 nox est perpetua una dormienda.
da mi basia mille, deinde centum,
8 dein mille altera, dein secunda centum,
deinde usque altera mille, deinde centum.
10 dein, cum milia multa fecerimus,
conturbabimus illa, ne sciamus,
12 aut ne quis malus invidere possit,
cum tantum sciat esse basiorum.

LI

Ille mi par esse deo videtur,
2 ille, si fas est, superare divos,
qui sedens adversus identidem te
4 spectat et audit
dulce ridentem, misero quod omnis
6 eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi
* * * * *
8 lingua sed torpet, tenuis sub artus
flamma demanat, sonitu suo
10 tintinant aures gemina, teguntur
lumina nocte.
12 otium, Catulle, tibi molestum est:
otio exsultas nimiumque gestis:
14 otium et reges prius et beatas
perdidit urbes.

LXX

- 2 Nulli se dicit mulier mea nubere malle
quam mihi, non si se Iuppiter ipse petat.
4 dicit: sed mulier Cupido quod dicit amanti,
in vento et rapida scribere oportet aqua.

LXXIX

- Lesbius est pulcher. quid ni? quem Lesbia malit
2 quam te cum tota gente, Catulle, tua.
sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
4 si tria natorum suavia repperit.

LXXXIII


- Lesbia mi praesente viro mala plurima dicit:
2 haec illi fatuo maxima laetitia est.
mule, nihil sentis? si nostri oblita taceret,
4 sana esset: nunc quod gannit et obloquitur,
non solum meminit, sed, quae multo acrior est res,
6 irata est. hoc est, uritur et loquitur.

Documents and Inscriptions

Vindolanda Tablet 291

Cl(audia) · Seuerá Lepidinae [suae
[sa]l[u]tem
iii Idus Septembr[e]s soror ad diem
sollemnem natalem meum rogó
5 libenter faciás ut uenias
ad nos iucundiozem mihi
[diem] interuentú tuo facturá
[...]
Cerial[em t]uum salutá Aelius meus
10 et filiulus salutant
sperabo te soror
uale soror anima
mea ita ualeam
karissima et haue
15 *Back*
Sulpiciae Lepidinae
Cerialis
a S[e]uera





The tablet displayed in the British Museum

D M S
CRISPINAE COIVGI
DIVINAE NUTRI
CI SENATORUM
DVVM ALBUS
CONIUNX C Q F
AN XVII H VIX
AN XXX M II
B M F

Rome CIL VI 16592; ILS 8531

D[is] M[anibus] S[acrum]; Crispinae co[n]iugi divinae, nutrici senatorum duum; Albus coniunx c[um] q[ua] f[ecit]) an[nos] XVII; h[aec] vix[it] an[nos] XXX, m[enses] II; b[ene] m[erenti] f[ecit].

Lucretia

(T. Livii Ab Urbe Condita 1.57-8)

[57] Ardeam Rutuli habebant, gens, ut in ea regione atque in ea aetate, divitiis praepollens; eaque ipsa causa belli fuit, quod rex Romanus cum ipse ditari, exhaustus magnificentia publicorum operum, tum praeda delenire popularium animos studebat, praeter aliam superbiam regno infestos
5 etiam quod se in fabrorum ministeriis ac seruili tam diu habitos opere ab rege indignabantur. temptata res est, si primo impetu capi Ardea posset: ubi id parum processit, obsidione munitionibusque coepti premi hostes. in his staturis, ut fit longo magis quam acri bello, satis liberi commeatus erant, primoribus tamen magis quam militibus; regii quidem iuvenes interdum
10 otium conuiuibus comisationibusque inter se terebant. forte potantibus his apud Sex. Tarquinius, ubi et Collatinus cenabat Tarquinius, Egeri filius, incidit de uxoribus mentio. suam quisque laudare miris modis; inde certamine accenso Collatinus negat verbis opus esse; paucis id quidem horis posse sciri quantum ceteris praestet Lucretia sua. "quin, si vigor
15 iuventae inest, conscendimus equos inuisimusque praesentes nostrarum ingenia? id cuique spectatissimum sit quod necopinato viri adventu occurrerit oculis." incaluerant uino; "age sane" omnes;



Rembrandt. *Lucretia*. 1664.
The National Gallery of Art,
Washington, DC



Rembrandt. *Lucretia*. 1666.
The Minneapolis Institute of Arts,
Minneapolis, MN.

20 citatis equis auolant Romam. quo cum primis se intendentibus tenebris
peruenissent, pergunt inde Collatiam, ubi Lucretiam haudquaquam ut
regias nurus, quas in conuiuio luxuque cum aequalibus viderant tempus
terentes sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio
aedium sedentem inveniunt. muliebris certaminis laus penes Lucretiam
fuit. adueniens vir Tarquiniique excepti benigne; victor maritus comiter
inuitat regios iuvenes. ibi Sex. Tarquinius mala libido Lucretiae per vim
25 stuprandae capit; cum forma tum spectata castitas incitat. et tum quidem
ab nocturno iuuenali ludo in castra redeunt.



Botticelli, *L'histoire de Lucrece*, 1504, peinture sur bois –
Boston, Isabella Stewart Gardner Museum


[58] Paucis interiectis diebus Sex. Tarquinius inscio Collatino cum comite uno Collatiam venit. ubi exceptus benigne ab ignaris consilii cum post cenam in hospitale cubiculum deductus esset, amore ardens, postquam

30 satis tuta circa sopitique omnes videbantur, stricto gladio ad dormientem Lucretiam venit sinistraque manu mulieris pectore oppresso "tace, Lucretia" inquit; "Sex. Tarquinius sum; ferrum in manu est; moriere, si emiseris vocem." cum pavida ex somno mulier nullam opem, prope mortem imminentem videret, tum Tarquinius fateri amorem, orare,

35 miscere precibus minas, versare in omnes partes muliebre animus. ubi obstinatum videbat et ne mortis quidem metu inclinari, addit ad metum dedecus: cum mortua iugulatum servum nudum positurum ait, ut in sordido adulterio necata dicatur. quo terrore cum vicisset obstinatum pudicitiam velut vi victrix libido, profectusque inde Tarquinius ferox

40 expugnato decore muliebri esset, Lucretia maesta tanto malo nuntium Romam eundem ad patrem Ardeamque ad virum mittit, ut cum singulis fidelibus amicis veniant; ita facto maturatoque opus esse; rem atrocem incidisse. Sp. Lucretius cum P. Valerio Volesi filio, Collatinus cum L. Iunio Bruto venit, cum quo forte Romam rediens ab nuntio uxoris erat

45 conuentus. Lucretiam sedentem maestam in cubiculo inveniunt.



Lucas Cranach l'ancien, *Le suicide de Lucrece*, 1550, Cracovie

Adventu suorum lacrimae obortae, quaerentique viro "satin salve?"
"Minime" inquit; "quid enim salvi est mulieri amissa pudicitia? vestigia viri
alieni, Collatine, in lecto sunt tuo; ceterum corpus est tantum violatum,
animus insons; mors testis erit. sed date dexteras fidemque haud impune
50 adultero fore. Sex. est Tarquinius qui hostis pro hospite priore nocte vi
armatus mihi sibique, si vos viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium."
dant ordine omnes fidem; consolantur aegram animi avertendo noxam ab
coacta in auctorem delicti: mentem peccare, non corpus, et unde consilium
afuerit culpam abesse. "vos" inquit "uideritis quid illi debeat: ego me etsi
55 peccato absoluo, supplicio non libero; nec ulla deinde impudica Lucretiae
exemplo vivet." cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde
defigit, prolapsaque in volnus moribunda cecidit. conclamat vir paterque.

Agrippina (Taciti Annales 14.1-9)

[1] Gaio Vipstano C. Fonteio consulibus diu meditatatum scelus non ultra Nero distulit, vetustate imperii coalita audacia et flagrantior in dies amore Poppaeae, quae sibi matrimonium et discidium Octaviae incolumi Agrippina haud sperans crebris criminationibus, aliquando per facetias incusare principem et pupillum
5 vocare, qui iussis alienis obnoxius non modo imperii, sed libertatis etiam indigeret. cur enim differri nuptias suas? formam scilicet displicere et triumphales avos, an fecunditatem et verum animum? timeri ne uxor saltem iniurias patrum, iram populi adversus superbiam avaritiamque matris aperiat. quod si nurum Agrippina non nisi filio infestam ferre posset, redderetur ipsa
10 Othonis coniugio: ituram quoque terrarum, ubi audiret potius contumelias imperatoris quam viseret periculis eius immixta. haec atque talia lacrimis et arte adulterae penetrantia nemo prohibebat, cupientibus cunctis infringi potentiam matris et credente nullo usque ad caedem eius duratura filii odia.

[2] Tradit Cluvius ardore retinendae Agrippinam potentiae eo usque provectam,
15 ut medio diei, cum id temporis Nero per vinum et epulas incalesceret, offerret se saepius temulento comptam in incesto paratam; iamque lasciva oscula et praenuntias flagitii blanditias adnotantibus proximis, Senecam contra muliebris inlecebras subsidium a femina petivisse, immissamque Acten libertam, quae simul suo periculo et infamia Neronis anxia deferret pervulgatum esse incestum
20 gloriantem matre, nec toleraturos milites profani principis imperium. Fabius Rusticus non Agrippinae sed Neroni cupitum id memorat eiusdemque libertae astu disiectum. sed quae Cluvius, eadem ceteri quoque auctores prodidere, et fama huc inclinatur, seu concepit animo tantum immanitatis Agrippina, seu credibilior novae libidinis meditatio in ea visa est, quae puellaribus annis
25 stuprum cum Lepido spe dominationis admiserat, pari cupidine usque ad libita Pallantis provoluta et exercita ad omne flagitium patrum nuptiis.

[3] Igitur Nero vitare secretos eius congressus, abscedentem in hortos aut Tusculanum vel Antiatem in agrum laudare, quod otium capesseret. postremo,

ubicumque haberetur, praegravem ratus interficere constituit, hactenus
30 consultans, veneno an ferro vel qua alia vi. placuitque primo venenum. sed inter
epulas principis si daretur, referri ad casum non poterat tali iam Britannici
exitio; et ministros temptare arduum videbatur mulieris usu scelerum adversus
insidias intentae; atque ipsa praesumendo remedia munierat corpus. ferrum et
caedes quonam modo occultaretur, nemo reperiebat; et ne quis illi tanto
35 facinori delectus iussa sperneret metuebat. obtulit ingenium Anicetus libertus,
classi apud Misenum praefectus et pueritiae Neronis educator ac mutuis odiis
Agrippinae invisus. ergo navem posse componi docet, cuius pars ipso in mari
per artem soluta effunderet ignaram: nihil tam capax fortuitorum quam mare;
et si naufragio intercepta sit, quem adeo iniquum, ut sceleri adsignet, quod
40 venti et fluctus deliquerint? additurum principem defunctae templum et aras et
cetera ostentandae pietati.



[4] Placuit sollertia, tempore etiam iuta, quando Quinquatruum festos dies apud
Baiae frequentabat. illuc matrem elicit, ferendas parentium iracundias et
placandum animum dictitans, quo rumorem reconciliationis efficeret
45 acciperetque Agrippina, facili feminarum credulitate ad gaudia. venientem
dehinc obvius in litora (nam Antio adventabat) excepit manu et complexu
ducitque Baulos. id villae nomen est, quae promunturium Misenum inter et
Baianum lacum flexo mari adluitur. stabat inter alias navis ornatio, tamquam id

quoque honori matris daretur: quippe sueverat triremi et classiariorum remigio
50 vehi. ac tum invitata ad epulas erat, ut occultando facinori nox adhiberetur.
satis constitit exitisse proditorem, et Agrippinam auditis insidiis, an crederet
ambiguam, gestamine sellae Baias pervectam. ibi blandimentum sublevavit
metum: comiter excepta superque ipsum collocata. iam pluribus sermonibus,
modo familiaritate iuvenili Nero et rursus adductus, quasi seria consociaret,
55 tracto in longum convictu, prosequitur abeuntem, artius oculis et pectori
haerens, sive explenda simulatione, seu pe[r]i]turae matris supremus adspectus
quamvis ferum animum retinebat.




[5] Noctem sideribus inlustrem et placido mari quietam quasi convincendum ad
scelus dii praebuere. nec multum erat progressa navis, duobus e numero
60 familiarium Agrippinam comitantibus, ex quis Crepereius Gallus haud procul
gubernaculis adstabat, Acerronia super pedes cubitantis reclinis paenitentiam
filii et recuperatam matris gratiam per gaudium memorabat, cum dato signo
ruere tectum loci multo plumbo grave, pressusque Crepereius et statim
exanimatus est: Agrippina et Acerronia eminentibus lecti parietibus ac forte
65 validioribus, quam ut oneri cederent, protectae sunt. nec dissolutio navigii
sequebatur, turbatis omnibus et quod plerique ignari etiam conscios
impediebant. visum dehinc remigibus unum in latus inclinare atque ita navem
submergere; sed neque ipsis promptus in rem subitam consensus, et alii contra

nitentes dedere facultatem lenioris in mare iactus. verum Acerronia,
70 imprudentia dum se Agrippinam esse utque subveniretur matri principis
clamat, contis et remis et quae fors obtulerat navalibus telis conficitur.
Agrippina silens eoque minus agnita (unum tamen vulnus umero excepit)
nando, deinde occursu lenuncolorum Lucrinum in lacum vecta villae suae
infertur.

75 *[6] Illic reputans ideo se fallacibus litteris accitam et honore praecipuo habitam,
quodque litus iuxta, non ventis acta, non saxis impulsam navis summa sui parte
veluti terrestre machinamentum concidisset, observans etiam Acerroniae
necem, simul suum vulnus adspiciens, solum insidiarum remedium esse sensit, si
non intellegentur; misitque libertum Agerinum, qui nuntiaret filio benignitate
80 deum et fortuna eius evasisse gravem casum; orare ut quamvis periculo matris
exterritus visendi curam differret; sibi ad praesens quiete opus. atque interim
securitate simulata medicamina vulneri et fomenta corpori adhibet;
testamentum Acerroniae requiri bonaque obsignari iubet, id tantum non per
simulationem.*

85 *[7] At Neroni nuntios patrati facinoris opperienti adfertur evasisse ictu levi
sauciam et hactenus adito discrimine, ne auctor dubitaretur. tum pavore
exanimis et iam iamque adfore obtestans vindictae properam, sive servitia
armaret vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet,
nafragium et vulnus et interfectos amicos obiciendo: quod contra subsidium
90 sibi, nisi quid Burrus et Seneca? quos expurgens statim acciverat, incertum an et
ante ignaros. igitur longum utriusque silentium, ne inriti dissuaderent, an eo
descensum credebant ut, nisi praeveniretur Agrippina, pereundum Neroni esset.
post Seneca hactenus promptius, ut respiceret Burrum ac sciscitaretur, an militi
imperanda caedes esset. ille praetorianos toti Caesarum domui obstrictos
95 memoresque Germanici nihil adversus progeniem eius atrox ausuros respondit:
perpetraret Anicetus promissa. qui nihil cunctatus poscit summam sceleris. ad
eam vocem Nero illo sibi die dari imperium auctoremque tanti muneris libertum
profitetur: iret propere duceretque promptissimos ad iussa. ipse audito venisse
missu Agrippinae nuntium Agerinum, scaenam ultro criminis parat, gladiumque,*

100 *dum mandata perfert, abicit inter pedes eius, tum quasi deprehenso vincla inici iubet, ut exit[i]um principis molitam matrem et pudore deprehensi sceleris sponte mortem sumpsisse confingeret.*



Buste d'Agrippine-la-Jeune, 1^{er} siècle apr. J.-C.,
Musée de l'Acropole, Athènes.

Agrippina the younger, 1st century CE, Acropolis Museum Athens

[8] Interim vulgato Agrippinae periculo, quasi casu evenisset, ut quisque acceperat, decurrere ad litus. hi molium obiectus, hi proximas scaphas
105 scandere; alii, quantum corpus sinebat, vadere in mare; quidam manus protendere. questibus votis clamore diversa rogitantium aut incerta respondentium omnis ora compleri; adfluere ingens multitudo cum luminibus, atque ubi incolumem esse pernotuit, ut ad gratandum sese expedire, donec adspectu armati et minitantis agminis deiecti sunt. Anicetus villam statione
110 circumdat refractaque ianua obvios servorum abripit, donec ad fores cubiculi veniret; cui pauci adstabant, ceteris terrore inrumpentium exterritis. cubiculo modicum lumen inerat et ancillarum una, magis ac magis anxia Agrippina, quod

nemo a filio ac ne Agerinus quidem: aliam fore laetae rei faciem; nunc
solitudinem ac repentinos strepitus et extremi mali indicia. abeunte dehinc
115 ancilla, "tu quoque me deseris?" prolocuta respicit Anicetum, trierarcho
Herculeio et Obarito centurione classiaro comitatum: ac si ad visendum
venisset, refotam nuntiaret, sin facinus patraturus, nihil se de filio credere; non
imperatum parricidium. circumstant lectum percussores et prior trierarchus
fusti caput eius adflixit. iam in mortem centurioni ferrum destringenti
120 protendens uterum "ventrem feri" exclamavit multisque vulneribus confecta
est.

[9] Haec consensu produntur. aspexeritne matrem exanimem Nero et formam
corporis eius laudaverit, sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant. cremata est
nocte eadem convivali lecto et exequiis vilibus; neque, dum Nero rerum
125 potiebatur, congesta est aut clausa humus. mox domesticorum cura levem
tumulum accepit, viam Miseni propter et villam Caesaris dictatoris, quae
subiectos sinus editissima prospectat. accenso rogo libertus eius cognomento
Mnester se ipse ferro transegit, incertum caritate in patronam an metu exitii.
hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina contempseratque. nam
130 consulenti super Nerone responderunt Chaldaei fore ut imperaret matremque
occideret; atque illa "occidat" inquit, "dum imperet."

Sophonisba

(T. Livii Ab Urbe Condita 30.12-15)

[12] Intransi vestibulum in ipso limine Sophoniba, uxor Syphacis, filia Hasdrubalis Poeni, occurrit; et cum in medio agmine armatorum Masinissam insignem cum armis tum cetero habitu conspexisset, regem esse, id quod erat, rata genibus advoluta eius 'omnia quidem ut possis' inquit 'in nobis di dederunt
5 virtusque et felicitas tua; sed si captivae apud dominum vitae necisque suae vocem supplicem mittere licet, si genua, si victricem attingere dextram, precor quaesoque per maiestatem regiam, in qua paulo ante nos quoque fuimus, per gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit, per huiusce regiae deos, qui te melioribus ominibus accipiant quam Syphacem hinc
10 miserunt, hanc veniam supplici des ut ipse quodcumque fert animus de captiva tua statuas neque me in cuiusquam Romani superbum et crudele arbitrium venire sinas. si nihil aliud quam Syphacis uxor fuissem, tamen Numidae atque in eadem mecum Africa geniti quam alienigenae et externi fidem experiri malletm: quid Carthaginensi ab Romano, quid filiae Hasdrubalis timendum sit vides. si
15 nulla re alia potes, morte me ut vindices ab Romanorum arbitrio oro obtestorque.' forma erat insignis et florentissima aetas. itaque cum modo genua modo dextram amplectens in id ne cui Romano traderetur fidem exposceret propiusque blanditias iam oratio esset quam preces, non in misericordiam modo prolapsus est animus uictoris, sed, ut est genus
20 Numidarum in uenerem praeceps, amore captivae victor captus. data dextra in id quod petebatur obligandae fidei in regiam concedit.




Mattia Preti, *La mort de Sophonisbe*, 1660, Musée de Beaux-Arts de Lyon

Institit deinde reputare secum ipse quemadmodum promissi fidem praestaret. quod cum expedire non posset, ab amore temerarium atque impudens mutuatur consilium; nuptias in eum ipsum diem parari repente iubet ne quid relinqueret
25 *integri aut Laelio aut ipsi Scipioni consulendi velut in captivam quae Masinissae iam nupta foret. factis nuptiis supervenit Laelius et adeo non dissimulavit improbare se factum ut primo etiam cum Syphace et ceteris captivis detractam eam lecto geniali mittere ad Scipionem conatus sit. victus deinde precibus Masinissae orantis ut arbitrium utrius regum duorum fortunae accessio*
30 *Sophoniba esset ad Scipionem reiceret, misso Syphace et captivis ceteras urbes Numidiae quae praesidiis regis tenebantur adiuvante Masinissa recipit.*

[13] Syphacem in castra adduci cum esset nuntiatum, omnis velut ad spectaculum triumphi multitudo effusa est. praecedebat ipse vinctus; sequebatur grex nobilium Numidarum. tum quantum quisque plurimum poterat
35 *magnitudini Syphacis famaeque gentis victoriam suam augendo addebat: illum esse regem cuius tantum maiestati duo potentissimi in terris tribuerint populi Romanus Carthaginensisque ut Scipio imperator suus ad amicitiam eius petendam relicta provincia Hispania exercituque duabus quinquereimibus in Africam nauigaverit, Hasdrubal Poenorum imperator non ipse modo ad eum in*


40 *regnum venerit sed etiam filiam ei nuptum dederit. habuisse eum uno tempore
in potestate duos imperatores, Poenum Romanumque. sicut ab dis immortalibus
pars utraque hostiis mactandis pacem petisset, ita ab eo utrimque pariter
amicitiam petitam. iam tantas habuisse opes ut Masinissam regno pulsum eo
rederit ut vita eius fama mortis et latebris ferarum modo in silvis raptis
45 viventis tegeretur.*



Giovanni Caroto, Sophonisba drinking poison, 16th century

*His sermonibus circumstantium celebratus rex in praetorium ad Scipionem est
perductus. Movit et Scipionem cum fortuna pristina uiri praesenti fortunae
conlata, tum recordatio hospitii dextraeque datae et foederis publice ac privatim
iuncti. eadem haec et Syphaci animum dederunt in adloquendo victore. nam
50 cum Scipio quid sibi voluisset quaereret qui non societatem solum abnuisset
Romanam sed ultro bellum intulisset, tum ille peccasse quidem sese atque
insanisse fatebatur, sed non tum demum cum arma adversus populum
Romanum cepisset; exitum sui furoris eum fuisse, non principium; tum se*

insanisse, tum hospitia privata et publica foedera omnia ex animo eiecisse cum
55 Carthaginiensem matronam domum acceperit. illis nuptialibus facibus regiam
conflagrasse suam; illam furiam pestemque omnibus delenimentis animum
suum avertisse atque alienasse, nec conquiesse donec ipsa manibus suis nefaria
sibi arma adversus hospitem atque amicum induerit. perditio tamen atque
60 adflicto sibi hoc in miseriis solatii esse quod in omnium hominum inimicissimi
sibi domum ac penates eandem pestem ac furiam transisse videat. neque
prudentiorem neque constantiorem Masinissam quam Syphacem esse, etiam
iuventa incautiorem; certe stultius illum atque intemperantius eam quam se
duxisse.



Guercino, Sophonisba 1630, Private Collection

[14] Haec non hostili modo odio sed amoris etiam stimulis amatam apud
65 aemulum cernens cum dixisset, non mediocri cura Scipionis animum pepulit; et

fidem criminibus raptae prope inter arma nuptiae neque consulto neque exspectato Laelio faciebant tamque praeceps festinatio ut quo die captam hostem vidisset eodem matrimonio iunctam acciperet et ad penates hostis sui nuptiale sacrum conficeret. et eo foediora haec videbantur Scipioni quod ipsum

70 *in Hispania iuvenem nullius forma pepulerat captivae. haec secum volutanti Laelius ac Masinissa supervenerunt. quos cum pariter ambo et benigno voltu excepisset et egregiis laudibus frequenti praetorio celebrasset, abductum in secretum Masinissam sic adloquitur: ‘aliqua te existimo, Masinissa, intuentem in me bona et principio in Hispania ad iungendam mecum amicitiam venisse et*

75 *postea in Africa te ipsum spesque omnes tuas in fidem meam commisisse. atqui nulla earum virtus est propter quas tibi adpetendus visus sim qua ego aequae ac temperantia et continentia libidinum gloriatus fuerim. hanc te quoque ad ceteras tuas eximias virtutes, Masinissa, adiecisse velim. non est, non—mihi crede—tantum ab hostibus armatis aetati nostrae periculi quantum ab*

80 *circumfuis undique voluptatibus. qui eas temperantia sua frenavit ac domuit multo maius decus maioremque victoriam sibi peperit quam nos Syphace victo habemus. quae me absente strenue ac fortiter fecisti libenter et commemoravi et memini: cetera te ipsum reputare tecum quam me dicente erubescere malo. Syphax populi Romani auspiciis victus captusque est. itaque ipse coniunx*

85 *regnum ager oppida homines qui incolunt, quicquid denique Syphacis fuit, praeda populi, Romani est; et regem coniugemque eius, etiamsi non cuius Carthaginensis esset, etiamsi non patrem eius imperatorem hostium videremus, Romam oporteret mitti, ac senatus populi Romani de ea iudicium atque arbitrium esse quae regem socium nobis alienasse atque in*

90 *arma egisse praecipitem dicatur. vince animum; cave deformes multa bona uno vitio et tot meritorum gratiam maiore culpa quam causa culpae est corrumpas.’*



Giovanni Battista Tiepolo, Death of Sophonisba 1755-1760,
Museo Thyssen-Bornemisza Madrid

[15] Masinissae haec audienti non rubor solum suffusus sed lacrimae etiam
obortae; et cum se quidem in potestate futurum imperatoris dixisset
orassetque eum ut quantum res sineret fidei suae temere obstrictae
95 consuleret—promisisse enim se in nullius potestatem eam traditurum—ex
praetorio in tabernaculum suum confusus concessit. ibi arbitris remotis cum
crebro suspiritu et gemitu, quod facile ab circumstantibus tabernaculum
exaudiri posset, aliquantum temporis consumpsisset, ingenti ad postremum
edito gemitu fidum e servis unum uocat, sub cuius custodia regio more ad
100 incerta fortunae venenum erat, et mixtum in poculo ferre ad Sophonibam iubet

ac simul nuntiare Masinissam libenter primam ei fidem praestaturum fuisse quam uir uxori debuerit: quoniam eius arbitrium qui possint adimant, secundam fidem praestare ne viva in potestatem Romanorum veniat. memor patris imperatoris patriaeque et duorum regum quibus nupta fuisset, sibi ipsa
105 consuleret.

Hunc nuntium ac simul venenum ferens minister cum ad Sophonibam venisset, 'accipio' inquit 'nuptiale munus, neque ingratum, si nihil maius vir uxori praestare potuit. hoc tamen nuntia, melius me morituram fuisse si non in funere meo nupsissem.' non locuta est ferocius quam acceptum poculum nullo
110 trepidationis signo dato impavide hausit. *Quod ubi nuntiatum est Scipioni, ne quid aeger animi ferox iuvenis gravius consuleret accitum eum extemplo nunc solatur, nunc quod temeritatem temeritate alia luerit tristio rem quam necesse fuerit fecerit leniter castigat. postero die ut a praesenti motu averteret animum eius, in tribunal escendit et contionem advocari iussit. ibi Masinissam,*
115 *primum regem appellatum eximiisque ornatum laudibus, aurea corona aurea patera sella curuli et scipione eburneo toga picta et palmata tunica donat. addit verbis honorem: neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos neque triumphantibus amplio rem esse quo unum omnium externorum dignum Masinissam populus Romanus ducat. Laelium deinde et*
120 *ipsum conlaudatum aurea corona donat; et alii militares uiri, prout a quoque navata opera erat, donati. his honoribus mollitus regis animus erectusque in spem propinquam sublato Syphace omnis Numidiae potiundae.*

Additional Material for extra reading

Tombstone set up along a road for Veturia Grata written in the form of an acrostich.

CLE 108

Vel nunc morando resta, qui perges iter,
Etiam dolentis casus aduersos lege,
Trebis Basileus coniunx quae scripsi dolens,
Vt scire possis infra scripta pectoris.
5 Rerum bonarum fuit haec ornata suis,
Innocua simplex, quae numquam errabit dolum,
Annos quae uixit XXI et mensibus VII
Genuitque ex me tres natos quos reliquit parbulos;
Repleta quartum utero mense octauo obit.
10 Attonitus capita nunc uersorum inspicere,
Titulum merentis oro perlegas libens:
Agnosces nomen coniugis gratae meae.

Epitaph to Claudia CIL 1.2.1211

Hospes, quod deico paullum est, asta ac pellege.
Heic est sepulcrum hau pulcrum pulcrae feminae.
Nomen parentes nominarunt Claudiam.
Suom mareitum corde deilexit souo.
5 Gnatos duos creauit. Horum alterum
in terra linqvit, alium sub terra locat.
Sermone lepido, tum autem incessu commodo.
Domum servavit. Lanam fecit. Dixi. Abei.

Epitaph to Claudia (in classical Latin)

hospes, quod dico paulum est; asta ac perlege.
hic est sepulcrum haud pulchrum pulchrae feminae:
nomen parentes nominarunt Claudiam.
suum maritum corde dilexit suo:
5 gnatos duos creavit: horum alterum
in terra linqvit, alium sub terra locat.
sermone lepido, tum autem incessu commodo,
domum servavit. lanam fecit. dixi. abii.

Sallustius Bellum Catilinae 25 Sempronia

Sed in iis erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro atque liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis et Latinis docta, psallere et saltare elegantius quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. Sed ei cariora
5 semper omnia quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneres; libido sic accensa, ut saepius peteret viros quam peteretur. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscia fuerat; luxuria atque inopia praeceptis abierat. Verum ingenium eius haud absurdum: posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci; prorsus
10 multae facetiae multusque lepos inerat.

T. Livius, 10. 23 Verginia

Verginiam Auli filiam, patriciam plebeio nuptam, L. Volumnio consuli, matronae quod e patribus enupsisset sacris arcuerant. Brevis altercatio inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarsit, cum se Verginia et patriciam et pudicam in Patriciae Pudicitiae templum ingressam, ut uni nuptam ad quem virgo deducta sit,
5 nec se viri honorumve eius ac rerum gestarum paenitere vero gloriaretur. Facto deinde egregio magna verba adauxit. In vico Longo ubi habitabat, ex parte aedium quod satis esset loci modico sacello exclusit aramque ibi posuit et conuocatis plebeiis matronis conquesta iniuriam patriciarum, "hanc ego aram" inquit "Pudicitiae Plebeiae dedico; vosque hortor ut, quod certamen virtutis viros in hac civitate tenet,
10 hoc pudicitiae inter matronas sit detisque operam ut haec ara quam illa, si quid potest, sanctius et a castioribus coli dicatur." eodem ferme ritu et haec ara quo illa antiquior culta est, ut nulla nisi spectatae pudicitiae matrona et quae uni viro nupta fuisset ius sacrificandi haberet.

Sulpicia (Corpus Tibullianum 3. 14, 15, 18)

XIV

Invisus natalis adest, qui rure molesto
2 et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellae
4 atque Arrentino frigidus amnis agro?
Iam nimium Messalla mei studiose, quiescas,
6 heu tempestivae, saeve propinque, viae!
Hic animum sensusque meos abducta relinquo,
8 arbitrio quamvis non sinis esse meo.

XV

Scis iter ex animo sublatum triste puellae?
2 natali Romae iam licet esse suo.
Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
4 qui nec opinanti nunc tibi forte venit.

XVIII

Ne tibi sim, mea lux, aequae iam fervida cura
2 ac videor paucos ante fuisse dies,
si quicquam tota comisi stulta iuventa,
4 cuius me fatear paenituisse magis,
hesterna quam te solum quod nocte reliqui,
6 ardorem cupiens dissimulare meum.

Bibliography

BBC *In Our Time* Discussion on Agrippina with Melvyn Bragg, Catharine Edwards, Alice König and Matthew Nicholls. Available here:

<http://www.bbc.co.uk/programmes/b074yzwk>

Dickison, Sheila K. and Hallett, Judith P. *A Roman Women Reader: Selections from the Second Century BCE through Second Century CE* Bolchazy-Carducci 2015

Fantham Elaine, Foley Helene, Boymel Kampen Natalie, Pomeroy Sarah B. and Shapiro H. A. *Women in the Classical World* Oxford New York 1994

Grimal Pierre *Mémoires d'Agrippine*, Le Livre de Poche, 2008

Hejduk Julia Dyson *Clodia: a sourcebook* University of Oklahoma 2008

Jallet-Huant Monique *Femmes d'exception de l'histoire romaine. De la Louve à Galla Placidia*, Presses de Valmy, 2014.

James Sharon & Dillon Sheila *A Companion to Women in the Ancient World* Wiley-Blackwell 2012. P369 on Dido/Cleopatra, see index for Lucretia, Clodia, Agrippina

Lefkowitz M and Fant M. *Women's Life in Greece and Rome* Bloomsbury 2005 (third edition)

MacLachlan Bonnie *Women in Ancient Rome a sourcebook* Bloomsbury 2013

McAuslan M. and Walcot P *Women in Antiquity* Oxford 1996

Pomeroy Sarah B. *Goddesses, Whores, Wives and Slaves: Women in Classical Antiquity* Dorset NY 1975

Schmidt Joël *Femmes de pouvoir dans la Rome antique*, Éditions Perrin, 2012

Later works inspired by these texts

Petrarca Sophonisba & Masinissa, in *Africa* , Livre V, v. 1 – 773 (1343)

Shakespeare *Antony and Cleopatra* (c1607)

Madeleine de Scudéry *Les Femmes Illustres ou les Harangues Héroïques* (1642) : Sophonisbe à Masinissa, cinquième harangue ;

Madeleine de Scudéry *Clélie, histoire romaine*, édit. Delphine Denis, « Folio », n° 4337, Gallimard, 2006

Corneille *Sophonisbe* (1663)

SOPHONISBE, TRAGÉDIE.

Par P. CORNEILLE.



Imprimée à ROYEN, Et se vend
A PARIS,
Chez GUILLAUME DE LYNE, Libraire Juré, au
Palais, en la Gallerie des Merciers,
à la Justice.

M. D C. LXIII.
AVEC PRIVILEGE DV ROY.

- Purcell *Sophonisba or Hannibal's Overthrow* (1685)
Dido and Aeneas opera (1688)
- Handel *Agrippina* opera (1709)
Giulio Cesare opera (1724)
- Gluck *La Sofonisba* (1765)
- Musset *Lorenzaccio* (1834) où la figure de Lucrece a toute son importance
pour la pièce en son entier, même si elle est seulement
épisodiquement évoquée
- Berlioz *Les Troyens* opera (1858)
- Britten *The Rape of Lucretia* opera (1946)

Clodia appears in several modern historical novels: *Roma sub rosa*, Steven Saylor;
Lustrum and *Dictator*, Robert Harris; *The Ides of March*, Thornton Wilder; Atia in
Rome (HBO/BBC) is largely based on her.

DVD :

- *Le Destin de Rome*, Fabrice Hourlier, coproduction ARTE France, Docside
Production, Indigènes, 2011.

Schola Europaea MMXVI

John BULWER / Fabienne CADILHAC / Fabienne DI TOMASO / Ines LADEHOF
Denis ROGER-VASSELIN / Inspecteurs Patrice SOLER et Dominique WILLÉ